

Universitätsbibliothek Wuppertal

Titi Livii Patavini Historiarvm Libri Qvi Svpersvnt Omnes

Livius, Titus

Mannhemii, 1779

Vorwort

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1233)

I. B. L. CREVERII
PRAEFATIO
IN VITAM ET SCRIPTA
LIVII

DE LIVII vita juvaret aliquam multa differere, si quæ via ad eam accuratius cognoscendam inquirentes ferret. Natura enim omnes cupimus illos celeberrimi nominis viros, quorum scripta manibus terimus, penitus pernoscere; & quibuscum scribentibus amice familiariterque conloquimur, iis quoque adesse domesticas res civilesve, privatas publicasve gerentibus. Sed plerisque scriptorum hoc contigit, ut dum ceterorum dicta factaque magna cura colligunt & immortalitati commendant, ipsorum, præter nomen, reliqua fere omnia interire sinerentur: malo sane exemplo, nec fatis grata posteritate adversus eos, quibus tantum deberet.

Hoc & Livii fatum fuit, ut fama ejus scriptaque toto orbe notissima, vita in

obscuro esset. Ex qua hæc paucula ad notitiam nostram pervenerunt : illum Patavii ortum, Pisone & Gabinio Coss. anno a. C. 58 : Romæ magnam egisse ætatis partem, sed in patria denique supremum diem obiisse, anno principatus Tiberii quarto, ætatis suæ sexto & septuagesimo; filium ei fuisse, cui quadam in epistola hanc legendi brevissimam eandem sapientissimamque legem scripserat, *Legendos Demosthenem atque Ciceronem, tum ita ut quisque esset Demostheni & Ciceroni simillimus*; filiam ei itidem fuisse, nuptam L. Magio rhetori, quem declamantem homines aliquamdiu, non in ipsius honorem laudaverint, sed in foceri tulerint; scripsisse eum, præter historias, etiam dialogos, quos non magis philosophiæ adnumerare possis, quam historiæ, & ex professo philosophiam continentes libros; eo auctore, Claudium, qui postea imperavit, ad historiam scribendam animum adpulisse; denique ipsi datum esse, ut vivus gloria sua perfrueretur, Gaditanum;

que quemdam
motum, ad
rarum orbem
abiisse.

Quo tempore
vius, ex ip
lib. I. cap.
regnum, I
Semel, in
Punicum pr
quod nos
post bellum
Augusto, p
stat ex D
ab Augusto
victis Can
medio temp
fectum, &
clausam,
in lucem pr
Dubitari
nos in absol
sumplevit.
ultimi libri

que quemdam , ejus nomine famaue com-
motum , ad visendum eum ab ultimo ter-
rarum orbe venisse , statimque ut viderat
abiisse.

Quo tempore historias suas scripserit Li-
vius , ex ipso opere adparet. Testatur ipse
lib. I. cap. 19. his omnino post Numæ
regnum , Jani templum clausum fuisse :
*Semel , inquit , T. Manlio consule , post
Punicum primum perfectum bellum : iterum ,
quod nostræ ætati dii dederunt ut videremus ,
post bellum Actiacum , ab Imperatore Cæsare
Augusto , pace terra marique parta. At con-
stat ex Dione , quinto post anno iterum
ab Augusto clausum esse Jani templum de-
victis Cantabris. Hinc recte conligetur ,
medio tempore inter bellum Actiacum per-
fectum , & Jani ædem iterum ab Augusto
clausam , primos Livianæ historiæ libros
in lucem prodiisse.*

Dubitari non potest , quin multos an-
nos in absolvendo tantæ molis opere con-
sumpserit. Et vero , quum ex epitome
ultimi libri adpareat memoratam fuisse eo

libro Drusi mortem, quæ uno & viceſimo poſt Aſtiacum triumphum anno contigit, ſequitur Livium ante id tempus ultimam ſuis hiftoriis manum non inpoſuiſſe.

Quot libros dederit Livius, inter doctos ambigitur. Epitomas librorum CXL habemus: ſed duas, nempe librorum CXXXVI & CXXXVII deperditas fuiſſe contendit Sigonius. Fuerint ergo vel CXL vel CXLII libri. Ut ut fit, magno literarum damno, ſoli nunc quinque & triginta ſuperſunt: ceteri omnes interiire, aut certe ignoti adhuc in nocte ac tenebris jacent.

Quia etiam non univerſæ ſimul Orbis litterato innotuere illæ pulcherrimi operis reliquiæ. Primæ Livii editiones exeunte XV ſeculo & ineunte XVI excuſæ, exhibent tantummodo primam, tertiam, & quartam decades; quartam quidem non integram, ſed hiulcam & mutilam, quum abeſſet totus trigefimus tertius liber, & magna pars quadrageſimi, qui finiebatur in his verbis cap. 37. *per omnia fora con-*

PRÆ
ſitabuloſa elaverunt
 Magontia ex mem
 zede ibidem max
 Martini adpellata
 tertii & trigefimi
 criffis ſancibus coler
 deerat libro quib
 Annus ejuſdem ſe
 novo ruriſ noſ p
 in Helvetiis Simo
 que libros reper
 monaſterium Lau
 e regione Bor
 Joannem Frobo
 Anno MDCX
 Jeſu ſacerdoſ,
 bibliothecæ pub
 cidit in membra
 Livii libros, in
 & trigefimi ad
 quem duobus po
 gavit. [Denique
 vum T. Livii frag
 Vaticana reper

ciliabulaque edixerunt. Anno MDXVIII. Magontiae ex membranibus bibliothecae in aede ibidem maxima & Metropolitana, D. Martini adpellata, addita est pars libri tertii & trigesimi ab his verbis cap. 17. *artus faucibus cohaerens Acarnaniae*, & quod deerat libro quadragesimo usque ad finem. Annus ejusdem seculi primus & trigesimus novo rursus nos proventu beavit. Tum in Helvetiis Simon Grynæus ultimos quinque libros repertos in membranibus apud monasterium Laurissenum, vulgo Lorssense, e regione Borbetomagi trans Rhenum, per Joannem Frobenium publici juris fecit. Anno MDCXV. J. Horrion, societatis Jesu sacerdos, Bambergæ dum singulos bibliothecae publicae codices excutit, incidit in membranas, quae complures T. Livii libros, in his partem priorem tertii & trigesimi adhuc desideratam servabant, quem duobus post annis Paderbornæ vulgavit. [Denique anno MDCCLXXII. novum T. Livii fragmentum in bibliotheca Vaticana repertum est hoc modo : Ver-

fabatur Romæ clarissimus vir Paulus Jacobus Bruns Lubecensis, antiquos qui ibi adservantur sacræ scripturæ codices lustraturus, ut studiis eruditi viri Benjamin Kennicotti in edendis Bibliis Hebraïcis inserviret; offertur ei codex latinus, qui libros Tobiae, Judithæ, Jobi & Estheris complectebatur. Animadvertit Brunsius, codicem illum esse ex eorum numero, quos, ut utamur Ciceroniano verbo in Epistolis ad Familiares VII, 18. adpellare possumus palimpsestos, id est, iterum scriptos. (nempe parsimoniæ causa, & ob membranarum raritatem antiquorum librorum scriptura pumice delebatur, extritisque illis membranis novi libri inscribebantur.) Itaque curiositate sua dignum ratus, quæ prius fuerant scripta, in fugacibus literarum vestigiis investigare, observat in multis membranarum illarum paginis scriptas olim fuisse Ciceronis orationes, quas typis editas habemus: rem defert ad virum ingenio & doctrina præstantissimum Giovenazzium,

quo familiarissimè utebatur : insequenti die codicem propius explorant : deprehendunt titulum minutissimo caractere exaratum TITI LIVII LIB. XCI. accendit eorum animos, quod librum hunc in Titi Livii editionibus deesse compertum haberent ; quodque pars illa Livii in his membranis unciali, ut loquuntur, caractere, ac proinde antiquissimo, fuisset olim exarata. Incredibile est, quantum curæ a clarissimis viris impensum fuerit ad legendam describendamque extritam illam Livii partem. Hanc Brunsius anno MDCCLXXIII. Hamburgi typis edidit : hæc eadem Romæ cum scholiis Giovenazzii in lucem prodiit : hanc Gabriel Brotier vir de re literaria immortaliter meritus in suo Tacito pariter vulgavit, supplementoque & adnotationibus inlustravit.]

Hæc ad nos ex Liviana historia perverunt, vix quarta pars totius operis : quæ animos quidem & fructu honestissimæ voluptatis perfundit, & utilissimorum documentorum bona fruge pascit, sed ita

ut desiderium quoque & luctum incendat
tot amissorum voluminum, quæ tempus
edax absumpsit & præcedentium ætatum
incuria. Nam quod aut Livium totum,
aut certe magnam eorum, quæ desidera-
mus partem, alii Constantinopoli, alii
apud extremos hominum in Hiona, sive
Iona insula supra Scotiam delitescere jacti-
tarunt, hæc, falsi utinam vates simus!
somnia esse existimamus optantium. Nec
meliore nos spe solatur id, quod Colo-
mesius ab homine candidioris pectoris,
quam felicioris ingenii Capellano sibi dic-
tum in literas retulit: quemdam Capel-
lani amicum, virum non inlitteratum,
quum pila luderet, animadvertisse in ea
palmula, quæ sibi esset ad manum, frag-
menta quorundam Livii librorum, qui
hodie non existent; quumque rem sibi ul-
terius inquirendam putasset, comperisse
eas esse reliquias aliquot similium mem-
branarum, quæ a monialibus domus Fon-
tebraldensis pharmacopœæ cuidam dona-
tæ, ab hoc ignaro qualis sibi thesaurus ob-

venisset, venditæ forent operario ignobili, qui iis abusus esset ad tegendas illas palmulas, quibus pila luditur. Vanis hujusmodi sine certo auctore rumoribus fidem habeat, cui placuerit sese inani spe lactare.

Partitio operis in decades utrum a Livio sit, dubitavit Petrarca, qui eam potius ortam esse putat a fastidiosa legentium ignavia. Idem adstruit Sigonius ex perpetuo veterum Grammaticorum, Prisciani, Diomedis, Censorini, denique auctoris epitomarum silentio, qui omnes librorum semper, nunquam decadum mentionem faciunt. Frustra quidam, ut contrariam opinionem tueantur, objiciunt Livium ei ipsum videri quodammodo suffragari, dum suas vigesimo primo & trigesimo primo libris præfationes præmittit. Etenim recte observat Dujatius Livium non absimilibus velut procæmiis extra decadum quoque principia identidem usum esse ad renovandam lectoris longo in opere adtentionem, vel si quando scribenti major rerum ordo nasceretur, ut patet ex libri

sexti ingressu , & cap. 29, lib. VII. Contendit ergo Sigonius germanam operis Liviani inscriptionem hanc fuisse : T. LIVII PATAVINI HISTORIARVM AB VRBE CONDITA LIBRI CXLII. Quæ opinio etsi probabilior videtur , tamen non abhorrendum ab decadum adpellatione , quæ & usu recepta est , nec sine circuitu verborum vitari interdum potest.

Epitomarum , quæ singulis libris præfiguntur , auctor ignoratur. Eas enim aut Livio ipsi , aut L. illi Floro , cujus exstant rerum Romanarum libri quatuor, adscribi non patitur dispar ab utroque styli color. Quisquis ille fuerit , quem nosse haud sane multum interest , ejus certe breviarum , tamquam exsanguia quædam & leviter adumbrata pulcherrimi corporis simulacra , non omni profus cura indigna sunt ; eo quidem magis , quod eorum aliqua est ad historiam , ubi Livius deficit , inlustrandam utilitas.

Atque hæc sunt , quæ sive ad Livii vitam , sive ad ejus operis formam , de-

scrip
ignora
Jam
ates, qu
si qua
quid clar
veritati
Ac pri
ri lauda
enim no
ta illa
nitor ,
careat
tumid
simplic
qui æq
tas ita
paulat
locis te
nat reb
agi cer
accipi
de me
tionum

scriptionem, casusque pertinentia, non ignorare operæ pretium fit.

Jam de ipso opere agamus, & ejus virtutes, quæ sunt eximiæ, tum etiam vitia, si qua fuerint, ita expendamus, ut & quid clarissimi scriptoris famæ, & quid veritati debeat, pariter meminerimus.

Ac primo quidem eloquentiam tanti viri laudare supervacua operæ fit. Quem enim non statim legentem adlicit inaffecteda illa narrandi jucunditas, & limpidus nitor, qui & perspicuitati serviat, nec careat, ubi opus est, nervis; non inepto tumidæ orationis fastu inflatus, sed simul simplicitatis, simul munditiarum memor; qui æquabili velut filo deductus, res gestas ita naturali quodam ordine explicet paulatim & aperiat, ita exhibeat omnia locis temporibusque distincta, ita suos adinat rebus & personis colores, ut coram agi cernique, non describi res auribusque accipi videantur? Quid dicere opus est de incredibile illa concionum ejus & orationum eloquentia, in quibus eximius

scriptor nullam non expressit dicendi laudem ? In iis sententiæ , tum gravitate , tum acumine commendatæ , egregio vestiuntur optimorum lectissimorumque splendore verborum. Jam pro argumentorum varietate , modo exultat audacius oratio , & grande aliquid ac sublime sonat , modo submissiore quodam & modestiore cursu , semper tamen cum quadam dignitate , fertur. Nihil vero mirabilius , quam quomodo versatile pariter ad omnia scriptoris ingenium , eorum omnium , quos loquentes facit , senum ac juvenum , privatorum magistratuumve , Romanorum & hostium sensus , animos , habitus ita induit , ut illi ipsi non melius modo aut venustius , sed ne aptius quidem decentiusque dicere potuerint. Itaque jamdiu docti omnes magno consensu iere in Quintiliani sententiam , qui Livium esse judicat , *quum in narrando miræ jucunditatis clarissimique candoris , tum in concionibus supra quam enarrari potest eloquentem.*

Ex illis tamen orationibus crimen in

eum oritur, tanquam in iis & fidem historiae neglexerit, & excefferit modum. Nec levibus fane auctoribus hæc criminatio nititur, a Pompeio Trogo olim coniecta in Livium, & hodie quoque a doctissimis ingeniosissimisque viris renovata, &, quod majus est, unanimi fere historicorum hujus ævi consensu comprobata, qui omnes ab ejusmodi concionibus, præsertim quas vocant directas, inferendis in narrationem suam abstinuere.

Neque ego receptum hodie morem reprehendere ausim, quem fortasse etiam historicæ gravitati convenientiorem esse non frustra jactatur. Attamen si auctores in utramque partem, si rationum momenta diligenter perpendantur, erit fane, cur Livium præpropere damnare vereamur.

Si gravitate auctorum exemplorumque res dijudicetur, tot se patronis tuebitur Livius, quot fere apud Græcos Latinosque in historia maxime claruere scriptores, Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Polybio, Sallustio, Tacito, Curtio.

Dionysium Halicarnasseum omitto, apud quem non inmerito fortasse reprehendi possint nimis protractæ in longum orationes, quæ & fatigant lectorem, & ingratam interdum narrationi moram injiciunt. Sed ceterorum quos modo nominavi eadem quæ Livii causa est. Apud omnes & crebræ orationes reperiuntur, &, si quando opus fuerit, longiusculæ, & omnibus dicendi virtutibus, omni cultu expolitæ, si tamen Polybianas excipias, quæ tinctæ sensu comptiorem ornatum neglexere. Omnibus igitur aut laus tribuenda est, aut venia deneganda. Durum sane in tot tam illustres reos gravem ferre sententiam, & in magna illa nomina, quæ omnis per tot retro secula mirata est vetustas, quæ qui carpere aufit, facilius sibi quam illis noceat, censorium stylum exercere.

Et quidem, si res ipsa inspiciatur, quid tandem deliquere summi scriptores, dum præter eam quæ debebatur, narrandarum jucunde, graviter, distincte, dilucideque

rerum volum
bitam nobis ex
paravere?
latur, dum e
truduntur,
dicta sunt.
ille dolus
ne quis illi
ratis, tam
borum sen
tas oratio
urbis Ro
existimet
Unum
rum quæ
& oratio
sunt, ali
esse pote
lectori re
locum lud
haque no
qui in l
rator ali
tionem,

rerum voluptatem, etiam alteram indebitam nobis ex luculentissimis orationibus paravere? Fides, inquiunt, historiae violatur, dum ea nobis tamquam dicta obtruduntur, quae tamen numquam revera dicta sunt. Quasi vero cuiquam innocens ille dolus inponat, aut periculum sit, ne quis illas Livii tam diligenter elaboratas, tam severe castigatas, tantis verborum sententiarumque munditiis exultas orationes ab horridis illis primorum urbis Romae temporum aratoribus esse existimet.

Unum excipio. Si scriptori licuit eorum quos dicentes facit referre verba, & orationes ipsas, quales pronuntiatae sunt, alicunde nancisci, nihil dubium esse potest, quin illae totidem verbis lectori reddendae sint, neque in earum locum ludentis ingenii foetus subponendi. Itaque non negabimus peccasse Tacitum, qui in l. XI Ann. c. 24. Claudio Imperatori alienam & fictitiam tribuerit orationem, quum vera exstaret, cujus etiam

num fragmenta habemus. Sed si verarum copia non sit, non video sane, cur vetetur is qui historiam scribit, suas & ad excolendum animum, & ad acuendum ingenium sæpe profuturas orationes obferre lectori, quum præsertim & in eas conjici commode possint sapientissima quædam monita ac præcepta ex ipsis factorum visceribus nascentia, quæ tamen inter narrandum adtexere minime decuerat; & ingenia, mores, animi ducum ac populorum propius ad naturæ veritatem exprimi; & vero causæ illæ quibus bellorum origo, & celeberrimi quique eventus continentur, atque etiam consilia ex quibus facta fluxere, liberius copiosiusque tractari. Ad hæc tot commoda illud quoque accedit, quod in iisdem, velut in amœnis quibusdam diverticulis, perpetua narratione defatigatus interdum lectoris animus suavissime conquietitur.

Id tantum cavendum est lectori, ne ex orationibus facta se sincera & incorrupta haurire posse existimet, quæ in iis

in majus
invidiam
plerumque
tamquam ex
bent, sed ex
scriptor loq
fidem, or
quentiam.

At enim
suo inferu
cundum e
adsequim
minos ve
jam his
tores. I
& Livio
ipse vider
ria suæ n
rum unam
risque Liv
non videat
& directar
Præclarum
tiscem!

in majus aucta, vel extenuata verbis, ad invidiam gratiamve decurtata, depravata plerumque reperiuntur. Orationes non tamquam ex scriptoris persona accipi debent, sed ex ejus, quisquis ille est, quem scriptor loquentem facit. Ipse narrationi fidem, orationibus præstare debet eloquentiam.

At enim qui directas conciones operi suo inferunt, *historiæ modum*, id enim secundum erat, *excedunt*: id est, si recte adsequimur accusatoris mentem, ultra terminos legibus præfinitos evagantur, nec jam historicos se esse volunt, sed oratores. Id quam convenienter in Sallustio & Livio reprehendat Trogius Pompeius, ipse viderit, qui obliquas orationes historiæ suæ non dubitaverat intexere, quarum unam nobis servavit Justinus, plerisque Livianis prolixiozem. Quis enim non videat eandem plane & obliquarum, & directarum concionum esse rationem? Præclarum vero commentum! mirum artificem! qui pro *indicativis modis infinita*

subjecerit, & loco *primæ personæ tertiam*.
 Eos qui nihil omnino, ac ne orationes
 quidem ipsas in historiam inseri debere
 contendunt, nisi ex vetustorum monu-
 mentorum fide, etsi paulo severiores sunt,
 aliquid tamen sequutos esse video. Ve-
 rum ii nos profecto ludibrio habent, qui
 quum directas conciones reproberent, jus
 sibi esse existimant obliquas, quantumli-
 bet prolixas, in opus suum includendi.
 Nihil ergo videtur adferri, cur Livio suas
 orationes vitio ac culpæ dari debere pro-
 nuntiemus.

At circa formam loquendi elegantiam-
 que sermonis litem ei dudum movit vir
 ingenio & eloquentia clarissimus, Asinius
 Pollio, qui in eo putabat inesse quamdam
Patavinitatem, sive locutiones quasdam quæ
 Patavinum, ut ita dicam, solum sape-
 rent, nec essent quadam urbanitate colo-
 rata. Hoc crimen hodie, nec dilui, nec
 comprobari omnino posse facile credide-
 rimus. Fieri sane potuit, ut homo Pata-
 vinus patriam plane dediscere non qui-

verit, & le
 di vita
 viri teretes
 rent. At m
 regina est
 modo co
 tantum no
 vos, qui
 los fortan
 assignare
 Dujatius
 fructus,
 ageret.
 de re fil
 retur, q
 namur,
 que Pata
 Nec v
 Livii, se
 virtus ab
 Autum e
 frons pe
 diosione
 tis, ex

verit, & levia quaedam retinuerit loquendi vitia, quæ principis inter Romanos viri teretes & religiosas aures offenderent. At nos, quibus Latina lingua peregrina est, qui eam ex libris tantummodo cognoscere possumus, quomodo tantum nobis adrogaremus, ut illos nævos, qui plerorumque Romanorum oculos fortasse fallebant, deprehendere & assignare auderemus? Id sane tentaverit Dujatius, homo non ita a Latinitate instructus, ut Livianæ orationis censuram ageret. Nobis consultissimum videtur ea de re filere. Bene profecto nobiscum ageretur, qui Latinam linguam balbutire conamur, si Livii orationem cum suâ quoque *Patavinitate* daretur effingere.

Nec verò eloquentia tantum claruit Livii, sed laudatur & fides, quæ prima virtus ab historiarum scriptore requiritur. Ausum esse eum vera etiam cum offensionis periculo dicere, veritatisque studiosiorem fuisse, quam gratiæ imperantis, ex eo patet quod, referente Tacito,

IV. Ann. 34, ita Cn. Pompeium laudibus extulerat, ut Pompeianum eum Augustus adpellaret. Sæpe Brutum, Cassium, Scipionem, Afranium, ut insignes viros nominaverat. Neque id, eodem teste Tacito, amicitia ipsius cum Augusto obfecit: quod quidem dubito utrum patientissimis Principis auribus, an scribentis libertati fuerit honorificentius.

Sed & in iis quæ hodie supersunt, nulla adparet adfentationis erga eum qui rerum potiretur suspicio. Semel aut iterum in totis quinque & triginta libris Augustum adpellat: sed ipsa re poscente, sed breviter & cursim, modicis cum laudibus & veris. Libro primo, cap. 19. templum Jani, occasione data, memorat ab eo clausum fuisse: quo quum Augustus magnopere gloriaretur, ipse tamen rem uno verbo tangit, gratulatus tantum ætati suæ raram felicitatem. Rursus, ubi de spoliis opimis Cossi differit, l. IV, c. 20. testem adlegat *Augustum Cæsarem, templorum omnium, inquit, conditorem, aut restitutorem:*
quod

quod quan
dicum
gulti no
que urbe
vero in n
victoria q
quam bel
obfereba
ris, quæ
nem refe
adoptata
poterat
ipfam
describi
laudes e
Livia,
quidem.
Verum
vii qua
ginem su
efingere
quæ adv
cussa su
labefaci

quod quam vere, quam non ambitiose dictum sit, testimonio est illa ipsius Augusti notissima vox: *Marmoream se relinquere urbem, quam lateritiam accepisset.* Jam vero in narranda insigni illa de Asdrubale victoria quam Livius & Nero reportavere, quam bella sese scriptori nostro materies obferebat demerendæ Liviæ Augusti uxoris, quæ ad alterum e victoribus originem referebat, in alterius domum fuerat adoptata! quam facile ibi sese jactare poterat adulatio! Livius rem quidem ipsam ornate, ut par erat, magnificeque describit: in victores ipsos plena manu laudes cumulat: de eorum posteris, de Livia, Tiberio, Druso, ne verbulum quidem.

Verum, quoniam non laudationem Livii quamdam exornamus, sed ipsius imaginem suis expressam lineamentis conamur effingere; oportet fateamur, ejus fidem, quæ adversus gratiam potentiorum inconcussa stetit, amore patriæ aliquoties fuisse labefactatam. Ubique apud eum sese pro-

dit nimia quædam Romanæ magnitudinis admiratio, nec satis cauta semper aut consulta. Itaque de Roma tenui adhuc & cum finitimis conluctante elatius tamen interdum loqui, laudem Romanis non semper ex vero adfingere, nonnulla etiam consulto diffimulare amat, propterea quod parum honorifica suæ genti, sive quibusdam celeberrimi nominis viris viderentur.

Sic qui Polybium, acerrimo iudicio & incorrupta fide scriptorem de causis secundi punici belli legerit, intelliget, ex polybiana disputatione ea duntaxat excerpisse Livium quæ Romanorum causæ favebant: quæ pro Pœnis dicta ab scriptore græco fuere, de iis omnino filet. Sic, dum Scipionem multis sane virtutibus & triumphis clarum stoica quadam continentia libidinum efficere vellet, agens de illa virgine captiva, quam statim parentibus & sponso reddidit, quædam omittit, quædam alio detorquet, quæ a Polybio ingenue memorata, docent, Scipionem non contempsisse plane voluptates, sed ubi usus reip. postularet, aspernari solitum esse.

Hæc & similia cogunt confiteri, Livium culpam commeruisse, quæ ab honestissima quidem culpa proficisceretur, sed culpam tamen in eo negotio ac munere, cui hæc prima sit dicta lex, ne quid falsi dicere scriptor audeat, altera, ne quid veri non audeat.

Minor est culpa negligentiae, sed eadem minus habet excusationis. Negligentem autem in historia fuisse Livium, utinam falso Caligula jactasset! Neque vero illa leviuscula urgemus, quod in parvis interdum rebus eum memoria ita fefellerit, ut rem eandem diversis locis enarret: multa id genus adnotavit & conlegit vir eruditione, diligentia, ingenii sagacitate præstantissimus, Jac. Perizonius in animadversionibus historicis.

Illud gravius, quod res quoque maximas, quas ab eo operis suscepti ratio, & lectoris utilitas postulabat, aut omnino prætermisit, aut verbo tetigisse satis habuit. Quis non miretur, quum videat, leges Romuli & Numæ circa religionem ac

cultum Deorum, circa civilem militaremque reip. administrationem, circa regis, senatus, populique jura, ita exiliter & jejune ab eo indicatas, ut Dionysium Halicarnasseum postea Plutarchumque in manus fumentibus nova fere omnia & ignota obcurrant? Idem L. III historiarum discordias de Aventino monte plebi ad ædificandum dividendo vix attigit. Coorti autem, anno insequente, novi ac prope cruenti motus propter legem agrariam; oratio quam pro hac lege ad populum habuit Siccus Dentatus vir sane memorabilis & inter Romanos quoque fortitudinis miraculum, quem laudant Dionysius, Valerius Maximus & Plinius in historia naturali; ejusdem S. Dentati egregius in rep. animus & incredibilis in bello virtus silentio transmissa. Quid multa? si hinc Livius, inde alii romanarum rerum scriptores studiose pervolvantur, plura multo per se curiosus lector inveniet, quam nos hoc loco dicere aut volumus aut possumus. Objiciunt quoque Livio, probantque

exemplis,
toribus
auctores
indicare n
& V deca
est, ut ve
reddat;
nova exp
de Sypha
victorias
alternas
phalas &
tim per
raro ad
quam f
variant
profite
bros ejus
uti.
Sed m
lis, qual
obsoleta
Etenim
eloquen

exemplis, eum quæ exscripsit ex aliis auctoribus, non semper intellexisse: deinde auctores illos quibus usus est, diligenter indicare neglexisse. Multa ille in III, IV & V decadibus e Polybio ita mutuatus est, ut verbum pene verbo fidus interpres reddat; transitum Alpium, Carthaginis novæ expugnationem, Scipionis in Africa de Syphace, de Asdrubale, de Annibale victorias, ejusdem Scipionis & Annibalis alternas orationes, pugnam ad Cynoscephalas & innumerabilia alia, quæ figillatim persequi longum esset. Ejus tamen raro admodum mentionem facit, nec usquam fere, nisi in minutis rebus, & ubi variant auctorum sententiæ. Nusquam proficitur, se ei permulta debere, se libros ejus integros vertere, iisque pro suis uti.

Sed minime miremur tamen, his maculis, quascunque in Livio notavimus, non obsoletam fuisse gloriam ejus ad posteros. Etenim præter eximium illud perfectæ eloquentiæ decus, de quo initio diximus,

hoc quanti est, quod vir bonus & recti honestique amans Livius, suam ubique virtuti laudem, suam vitio reddit ignominiam; neque nudam ac jejunam dictorum factorumque proponit seriem legentibus, sed iis instructam judiciis ac præceptis, quæ ad omnem vitæ officiique rationem egregia possint esse documenta.

Ac primo quidem pietatem in numina quæ apud suos colebantur, & quamdam religionis patriæ reverentiam ubique profitetur: infelix, qui temporum vitio & communis exempli imperiosa lege abreptus futilem religionis umbram pro re amplecteretur; laudandus, qui umbram retineret tamen, seseque multum ab insipientis sapientiæ audacia & temeritate sejungeret, quæ bellum falsis indictum diis cum vero gerebat, & dum impios vulgi circa divina profligaret errores, ipsam tollebat divinam vim, eademque opera maximum justitiæ & societatis humanæ vinculum dissolvebat. Sacrilegam hanc, quæ suo ævo Romæ vigeat, opinionum

licentiam
intimi de
gravis,
plena est
currit no
Nondum
gentia de
quisque j
sed suos
Et alibi
confulen
pullarium
nis, inc
natus.
dulo pe
si quid
memore
quo con
reat, cu
in odium
pionibus
pere del
mo dete
tori cap

licentiam, non semel increpat, & cum intimi doloris sensu deflet Livius. Quam gravis, quantæ severitatis & sanctimoniam plena est hæc quæ lib. III, cap. 20. obcurrit novæ illius impietatis castigatio? *Nondum hæc, quæ nunc tenet seculum, negligentia deum venerat: nec interpretando sibi quisque jusjurandum & leges aptas faciebat, sed suos potius mores ad ea accommodabat.* Et alibi, (X, 40.) de juvene eo qui consulem monendum sibi esse existimabat pullarium auspicia ementitum esse, *Juvenis, inquit, ante doctrinam deos spernentem natus.* Sed quid plura opus est? Qui sedulo perpenderit, quonam modo Livius, si quid pie in deos factum est, id commemoret & prædicet; contra, si in aliquo contemptor religionis animus adpareat, quam is invidiose describatur, & in odium vocetur, facile animadvertet prioribus illis exemplis nostrum maximo-pere delectatum esse, hæc vere & ex animo detestatum. Sufficiat hic indicare lectori capp. 40 & 46, lib. V. ubi de Al-

binio, & Fabio Dorfone agit, & initia lib. XXII. ubi de consule Flaminio.

Neque vero crediderimus, id quod multi Livio objecere, illam quam in eo laudamus cœlestis numinis reverentiam, in anilem superstitionem degenerasse. Huic criminationi maxime ansam præbuere prodigia illa, quæ plurima in singulos fere annos conligit, partim incredibilia & omnino vana, partim ab inperitis hominibus falso habita pro monstris, quum tamen nihil in iis esset, quod non ex vi ipsa rerum & naturæ legibus flueret. Sed non recte judicant de Livio, qui hæc omnia ab eo aut pro veris memorata, aut in religionem versa esse existimant. Ipse se multis locis defendit; ut quum lib. XXI, cap. 62. prodigiorum enarrationem sic orditur: *Romæ, aut circa urbem multa ea hieme prodigia facta, aut (quod evenire solet motis semel in religionem animis) multa nuntiata & temere credita sunt.* Rursus lib. XXVII, cap. 23. *Cumis (adeo minimis etiam rebus prava religio inserit deos)*

mures in aede Jovis aurum rosisse nuntiatum est. Ubi etsi rei prorsus incredibili fidem potius derogare debuerat, absurdæ certe superstitionis crimen a se repellit.

Quin etiam illud adfirmare non dubitabimus, pertinuisse ad historiæ fidem, ut prodigia illa, quemadmodum in publicis monumentis tradita reperiebat, ita ad nos scripto transmitteret. Quis negaverit historiæ cujuslibet populi non pœnitendam esse partem eam quæ ad ejus sacra ritusque religiosos & cultum numinis spectet? Quem nostrum non juvat nosse, quantopere mentes priscorum illorum Romanorum obcæcarent stolidæ, & multum, irridendane dicam, an deslenda, circa divina superstitio & credulitas? Quæ cognitio tantum abest ut veræ religioni obficiat, ut contra hoc quoque nomine gratias Deo immortales & habere, & agere debeamus, quod nos veteribus illis neque prudentiores neque ingeniosiores, a tam supinis tamque exitiabilibus erroribus, per divinam Evangelii

W. H. G.

lucem liberaverit. Non continuo igitur, si Livius perabsurda prodigia memoriæ mandavit, id ei in crimine ponendum, aut nota superstitionis injungenda est: ac proinde nihil jam obstat quominus eum multum amemus de sua in eos quos solos colere didicerat deos pietate. Multum ergo ab eo absumus, ut Gregorio Magno, acris ingenii, & eruditi in Religionem Christianam studii pontifici, tam lævam fuisse mentem putemus, ut, quod legitur in Antonini Summa, ob illam prodigiorum commemorationem infensus Livio, quoscumque nancisci potuisset ejus libros igni traderet. Id nec libet credere, & licet, ubi rei tam absurdæ tanto posterior ætate testis unus citari potest.

Sed & ceterarum virtutum, justitiæ, abstinentiæ, comitatis, munificentæ, castimoniæ, amoris in patriam, summa ubique apud eum elucet admiratio, quæ in earum æmulationem ipsum quoque lectorem rapit. In re manifestissima non operæ est diutius inmorari. Sed tamen quis

non ardore
succendi se
Lentulum
tem, ut con
tantum, fed
tam puten
velut ex o
Respublica
salvas praj
quam servet
contemptum
flammet S
intempes
nisbam a
non dubi
bus trium
dinum de
Quod t
aliena orn
crudelitate
& inpoten
ambrosia
Varronia
pingit Li

non ardore quodam caritatis in patriam succendi se sentiat ? sive audit (IX, 4.) Lentulum consules ad Caudium hortantem, ut communem salutem non morte tantum, sed & ignominia sua bene emtam putent; sive hanc (XXVI, 36.) velut ex oraculo missam vocem excipit: *Respublica incolumis & privatae res facile salvas praestat. Publica prodendo tua nequidquam serves.* Quem non ad temperantiam contemptumque voluptatum incitet & inflammet Scipio ille, qui dum Masinissae intempestivum & praecipitem in Sophonibam amorem castigat, (XXX, 14.) non dubitat, & juvenis, & victor, omnibus triumphis anteferre frenatarum libidinum decus ?

Quod si a vitiis quoque dehortantur aliena opprobria, Tarquinii superbiam & crudelitatem, Appii decemviri libidinem & inpotentiam, Manlii Capitolini spes ambitiosas & seditiosa consilia, Flamini Varronisque temeritatem iis coloribus depingit Livius, ut tantam foeditatem nemo

non laudis cupidus exhorrescat. Sic ergo ex ejus opere hic conligitur fructus, quem ipse ex historia uberrimum utilissimumque capi posse existimarit. Sic *omnis exempli documenta in inlustri posita monumento intueri datur. Inde tibi tuæque reipublicæ quod imitere capias : inde sædum inceptu, sædum exitu, quod vites.*

Fremant philosophi licet : audacter profitebimur animi nostri sententiam. Omnes illorum disputationes una nobis videtur Livii historia, si quis & honesti amore sibi pectus inbui velit, & salubri quodam antidoto adversus vitiorum contagia muniri, sive auctoritatis pondere, sive utilitatis ubertate superare. Quidquid apud illos præceptis adstruitur, hic firmatum videmus exemplis. Illi cassam sæpe & vacuam fingunt animo virtutis imaginem : hic ipsa sese virtus præsentem sistit ob oculos, & vivam quodammodo ac spirantem exhibet. Illorum suspecta interdum est otiosa loquacitas : hic nos frangit auctoritas ineluctabilis onus.

torum triumphis ducum, & maximi post hominum memoriam imperii conditorum. Denique illorum præceptiones non modo aridæ ac jejunæ nihil habent lenocinii, nihil voluptatis, sed etiam ipsa præcipiendi professione absterrent ac fugant indociles plerumque hominum animos: Livius & omni eloquentiæ cultu salutaria monita vestit & exornat, & ita præcipit ut prorsus lateat præcipiendi voluntas. Nullum in eo magisterii supercilium; nulla doctoris persona: fallitque disciplina virtutis ante insinuata mentibus, quam ipsi qui discunt doceri sese intelligant.

Hoc artificium callide apprehendit vir exculi multa humanitate ingenii Corbinellus, qui sententias e Livio collectas contulit in libellum, editum Parisiis anno 1694. In monito quod huic libello præfixum est, observat editor, mirum quibusdam fortasse videri posse, quod qui tam non sententiosè scripserit Livius, tam multas ex suo opere excerptas sententias præbuerit. Sed nempe egregius di-

cendi artifex, non, Polybiana simplicitate, tamquam purpureos pannos, narrationi sententias adfuit. Longe illi major est venustatis & æquabilitatis in scribendo cura. Dat itaque operam, *ne*, quod postea Petronius monuit, *sententiæ emineant extra corpus orationis expressæ, sed in-texto vestibis colore niteant.*

Jam igitur æquam de Livio videmur ferre posse sententiam. Tres præcipue sunt historiæ dotes, ut vera, ut jucunda, ut utilis sit. Atque adeo tria sunt historici officia, ut res gestas cum fide repræsentet, ut iis tractandis eloquentiam adhibeat, ut hausta ex iisdem morum informandorum monita & præcepta narrationi inspergat. Duo ita præstitit Livius, ut si minus ceteris omnibus dicendus est præriuisse palmam, certe nulli secundus haberi possit: ac si historiarum scriptori sufficeret utile dulci miscere, frustra quidquam perfectius quæreretur. In fide paulum claudicavit, & humani aliquid passus est, sed ita ut culpam causa culpæ elevare plerumque videatur.

Jam si ab
transferamus
mus, ut
quid, animi
agendo, in
tare non po
pectus tue
Eam ille ut
omni fisco
lit, ut intr
minime ste
virtutem i
quoque a

Hæc d
ter & peri
in Univer
lectori ha
edendis a
fuit Arnol
tiplici eru
quidquam
Livium a
set, edit

Jam si ab opere ad mores ejus judicium transferamus, & eos ex scriptis aestimemus, ut fere solent ii qui scribunt aliquid, animi sui effigiem, etiam aliud agendo, in libris suis exprimere, dubitare non possumus, quin candidissimum ei pectus fuerit amantissimumque virtutis. Eam ille ubique tantis laudibus, tam ab omni fucō & mendacii larva alienis extollit, ut intra otiosam ejus admirationem minime stetisse videatur. Scias eum qui virtutem in ceteris eximie laudet, in se quoque amare.

Hæc de Livio ac de scriptis ejus scienter & perite differuit Creverius Rhetoricæ in Universitate Parisiensi Professor, quæ lectori haud injucunda fore duximus. In edendis autem Livii historiis dux nobis fuit Arnoldus Drakenborchius, vir multiplici eruditione apud Batavos clarus; qui, quum eodem tempore, quo Creverius, Livium adcuratius emendandum suscepisset, editionis Parisinæ chartas adhuc ex

prælo madidas adferri sibi curabat. Adjutus præterea compluribus iisque optimis codicibus mss. necnon vetustis celebratissimisque editionibus, ingenti mendarum acervo, quæ in Gronovianis easque subsecutis, aut palam exstabant, aut occulte latebant, contextum Livianum liberavit, eumque orbi litterato ipso etiam Creveriano emendatiorem ac defæcатиorem tradidit. Is etiam editioni suæ adtexuit, sive quæ a Freinshemio ad supplendam deperditam Livii partem, sive quæ a Creverio ad explendas Librorum XLI, XLIII, XLIV, XLV lacunas condita fuerunt. Atque hæc quidem Creverii supplementa nos quoque narrationi Livianæ inferere statuimus, ita rati, nos gratum multis facturos, si rerum illis in libris contentarum seriem quamdam aptè conligatam eis exhibuerimus, nec lacunis interruptam. Supplementa vero Freinshemiana opus sanè egregium maximæque & voluptatis & fructus, quum tamen ab Livio sejuncta omnino sint, & separatim veneant, omittenda putavimus.